



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. Lubrica amicitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

pla docent, quas tempestates concitaverint exitiales hæ faces. Ut Troia incendio deflagraret, quis ignem subdidit nisi Helena? quæ quot radios ex oculis, tot faculas jaculata est, quibus in amorem & odium fortissimorum virorum pectora incendit, & Priami regnum funditus evertit. Clytemnestra verò Helenæ soror, qualis furia extitit? Ægisthi propinquitate conjuncti, fœdissimis amoribus capta, ut liberiùs cum adultero consuesceret, redeuntem ex bello Trojano maritum Agamemnonem per insidias interfecit, idem factura Orestis filio, nisi eum Electra soror certissima neci eripuisset. Quid pestilentius ac dirius his flammis? quæ aspectu primo videntur esse sidera ob venustatem formæ; sed nimium ferale lucent, instar cometæ:

----- non illum navita tutò,
Non impunè vident populi.

IV. (d) Animadversione dignum est, quòd Castor & Pollux ex ovo fragili prodierint: quæ re ostenditur, quàm lubrica sit hominum etiam conjunctissimorum fides & amor. De Carolo VII. Galliarum rege memoratur, ipsum aliquando è familiarium suorum charissimo sciscitatum, quid ejus cum rege amicitiam infringere aut labefactare posset? illumque respondisse intrepidè, *un affront, Sire*. Unus contemptus, domine. Constantiam amicitia exprèsserunt veteres hoc emblemate. Pingebatur juvenis formâ vegetâ, detecto capite, tunica rudi indutus, in cujus fimbria scriptum erat: *Mors & Vita*. In fronte: *Æstas & Hiems*; habebatque latus apertum usque ad cor, cui inscriptum: *Longè & Propè*. *Forma juvenilis* indicat amicitiam semper virentem; *nudum caput*, fidele obsequium; *rude indumentum*, tolerantiam laborum; *æstas & hiems* prospera & adversa; *latus & cor apertum*, simplicitatem & sinceritatem; *longè & propè*, amoris in omni loco constantiam.

V. (e) Castor & Pollux inter *ἀνεζίδνους*, seu *malorum depulsores*, sunt numerati. Nec immeritò. Nam qui concordés sunt inter se, & pacis amantes, etiam alios ad voluntatum conjunctiones inducunt, eaque, quæ discordiam, & mala inde orientia invehere possent, amoliri student & averruncare. Superiùs meminimus, *Discordiam*, unam esse inter furias, Martis currum stipantes. Ejus imaginem pingit Petronius:

Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput: hujus in ore
Concretus sanguis: contusaque lumina flebant:

Stabant

(d) *Lubrica amicitia.* (e) *Concordia bonum.*